

tæ manent ejusmodi rapinæ. Certe Constantinus M. et successores imp. etiam a direptione templorum gentilium in bellis abstinerunt, cum tamen contra gentiles a Christianorum templis non abstinuissent, ut testatur epist. XXXI. adversus Symmachum. Non abstineant igitur Christiani a sacris christianis?

V. Fulgeat lorica justitiæ, hoc est, caveat sibi a vitiis saltem gravioribus et muniat se virtutibus. Tum quia in præsentiori periculo mortis et pluribus peccandi occasionibus versatur, quam quisquam alias, tum quia scelerati milites indigni sunt victoria, et feliciter pugnare nequeunt. Hoc enim est, quod præcepit Deus, Deut. XXIII. *Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.* Intellige a furtis, rapinis, ebrietate, scortationibus, blasphemis, similibusque vitiis, quibus milites injicit et inficere castra solent. *Ab omni*, vero, inquit, *re mala*: quia si vel uni vitio sit deditus, jam satis est diabolo, ut eum in gehennam trahat, licet unica tantum catena. Quemadmodum enim lorica totum corpus tegere debet, alioquin si in parte aliqua non tecta vulneretur miles, parum ei prodest alibi tectum fuisse. Sic enim et Achab cæteroquin armis cooperetus, una tantum corporis parte nudatus, sagitta ibidem percussus interiit, III. Reg. ult. Satis etiam est Deo, ut auxilium suum ei neget, qui vel uni vitio deditus est. Præcipue tamen abstineant primo a rapinis et injuriis. Audiant enim concionantem sibi Joan. Bapt. Luc. III. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Audiant Alexandrum Severum imp. licet gentilem, qui militibus suis crebro inculcabat, et per præconem promulgabat illud, quod audierat a Christianis, nimirum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item si quis in alicujus possessionem deflexisset, dicebat: *Vellesne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno?* Ita Lamprius refert. Audiant Aurelianus imp. vicario suo scribentem: « Tu si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine, nemo pulum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostium, non de lacrymis provincialium habeat, etc. stipendium in balteo, non in popina habeat, in hospitiiis caste se agat: qui litem fecerit vapulet. » Ita Vopiscus, in Aureliano.

Secundo, abstineat a scortationibus, a quibus enervantur milites et hostium prædæ exponuntur. Ut Sardiæ, qui libidine defatigati, et somno oppressi, a Smyrnis obruti, capti sunt Plut. in

Paral. Titus Livius, de his loquens, ait: *Hæ delictæ Capuæ Annibalis copias enervarunt.* Strenuissimi etiam milites, propterea servi facti, omnem suam deturparunt gloriam. Unde prudentes duces, qualis Scipio apud Val. Max. meretrices omnes a castris relegarunt.

Tertio, a crapula et ebrietate: hæc enim ligat et exarmat milites. Nemo autem militum patitur facile se ligari, aut gladio discingi, quia non haberet amplius quo se defenderet. Sane Lacedæmonii omam etiam tondebant, ne haberent quo teneri ullatenus in bello possent, teste Pierio, lib. XXXII. hierogl. Ebrietas autem aufert homini rationis usum, quæ vere gladius est animæ, quo contra omnes spiritualium præsertim hostium insultus defendere nos possumus. Eo vero discinctus, quomodo se defendet, quomodo de salute sua cogitabit? Quod eo magis advertere debent milites, quo ipsi præ cæteris facilius subitanam incurrere mortem solent. Ut enim qui certos et juratos habet hostes sibi insidiantes cautissimus est, et quocumque vadit, arma secum fert: ita decet militem tanto solertius gestare gladium sobrietatis, quo certior est de hostibus, incertior de vita. Unde Epicuri de grege natos esse oportet rhythmos illos. Hoc enim non difficile approbarem, si milites quoad animam etiam mortales essent, quemadmodum et porci.

Quarto, a blasphemis, siquidem ob blasphemias perire multi exercitus: regis Sennacheribis; exercitus Demetrii regis duce Nicanore; exercitus Antiochi regis, etc. Et præterea miles multum blasphemans, imbellem se demonstrat et timidum, quasi qui verbis solum et execrationibus terrere velit hostem. Nemo enim nescit canes timidiusculos plus latrare, quam mordere, juxta paræmiam nostram. Quod verum etiam in hostibus ante conflictum vociferari solitis, quales Hungari: ii enim ut plurimum sunt, qui primi capessunt fugam et animo parum valent.

VI. Sit calceatus pedibus in præparationem evangelii pacis. Per calceos intelligere possumus expiationem conscientiæ, quæ præcedere debet conflictum, quantum fieri potest. Ut enim is qui peregre vult ire, calceos induit, qui domi alioquin nudipes incederet: ita qui in prælium descendit, merito se calceat per sacram exomologesim, quia forte longissimum iter conficiet et apud inferos cœnabit, quemadmodum dixit Leonides militibus suis ante conflictum: *Prandete hic milites, apud inferos cœnaturi.* Per istos ergo calceos præparatur miles ad evangelium, id est, bonum nuntium pacis. Primo, quia nihil

## CONCIO X.

## DOCUMENTA.

I. Discunt catholici reveri Christum. — II. Infideles et hæretici credere. — III. Magnates humiliari. — IV. Humiles bene sperare. — V. Divites erogare. — VI. Pauperes esse grati. — VII. Domini de servis esse solliciti. — VIII. Servi esse fideles dominis et obediens.

## THEMA.

*Amen dico vobis: Non inveni tantam fidem in Israel.* Matth. VIII.

Non inveni Christus tantam fidem in Israel, quantam in hodierno centurione. Et ego, nisi fallor, non inveni tot tantaque virtutum exempla in ullo evangelio, quot et quanta in hodierno: quare sine ambagibus illud aggrediemur.

I. Ecce vobis, catholici, exemplum reverentiæ, quam Domino Deo vestro exhibere debeatis. Aspicite leprosum, qui, ob morbi horrorem ab hominibus separatus et hinc rerum divinarum ignaris, genibus flexis ad Christum venit, imo ut Sanctus Lucas ait: *Cadens in faciem adoravit eum.* Quid jam facere vos decet? Non miror ego hæreticus non prosterni ante eucharistiam, imo ludere et ridere: qui nesciunt quid faciunt, uti milites ante crucem alea ludentes. At de catholicis hæc intolerandum est, quia credunt esse Dominum et Deum suum, ante cujus oculos stant. Vidantur ergo factum negare, quem verbo confitentur. Rursum exemplum perfectæ orationis, qua Dei voluntati committitur necessitas orantis: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non dubitat de potentia exorati, sed de sua petitione, an expediat sibi: ideo nil petit, sed necessitatem tantum aperit suam: futurus etiam contentus, si non audiretur. Videtur hanc prudentiam suæque resignationem didicisse a tribus pueris, qui Dan. III. dicebant Nabuchodonosori: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, etc.* Quasi dicat, inquit Theodoretus: « Nos pro mercede aliqua Domino nostro non serviemus, sed amore ejus omnibus rebus cultum ipsius præferimus: ipsi omnem nostram gubernationem et providentiam permittimus: quamlibet judicii ejus sententiam tanquam meliorem nobisque utiliore liberenter acceptamus. »

II. Ecce vobis, hæretici et omnes infideles, Judæi et gentiles, exemplum magnæ fidei in Judæo et gentili, utroque rudi et plebeio. Pri-

dubium quin multo alacrius pugnaturi sint expiati seu quando conscientiam suam verisimiliter pieque credent in tuto positam et ab omni gravi culpa liberam, cujus reatu reformidant futurum judicem et pœnas illas æternas, in quas statim post obitum ruunt, qui ad futurum sæculum sine expiatione transeunt; et cura reformidant, mortem refugiunt, mortisque pericula, aut frigide aggrediuntur: *Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia,* ait Sapiens, cap. XVI. Certe calcei militares olim clavos habebant; quibus in terram defixis in eodem vestigio staret miles, nec ad fugam esset idoneus, ut testatur Josephus, libro VII. de bello Jud. cap. III. Quid autem firmiter in prælio militem stare facit, quam secura conscientia? Quid fugere, nisi mens sibi male conscia? Vidit hoc Horatius poeta canens: *Integer vitæ scelerisque purus, non times Mauri jaculis nec arcu, etc.* Suasit vero imo præcepit suis Jacob, quando post cædem Sichimorum a filiis suis factam, timens ne Sichimitæ ultionem ab eo quærerent et armati in eum irruerent, dixit convocata omni domo sua: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra,* Genes. XXXV. Hoc idem dux ad milites suos (et quilibet ad seipsum) dicere deberet, antequam confligat: et si occasio confitendi peccata non sit, saltem examine conscientiæ utatur et Deo confiteatur, contritionem in corde suo excitet et confiteri pro occasione data proponat. Alioqui dicat, quod Moyses suis illis, Num. XIV. *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corrumpatis coram inimicis vestris.* Gedeon ante pugnam probavit milites suos ad aquas, Judic. VII. Sic dux milites probet suos prius ad aquas baptismi, si non sunt baptizati, uti fecit Constantinus imperator pugnaturus contra Magnentium tyrannum, victoriamque felicissimam comparavit, apud Theodoretum, lib. III. hist. c. III. Vel ad pœnitentiam, si sunt Christiani.

Secundo, quia bene sperandum est, quod ita expiati, victoriam, quæ profecto bonum nuntium pacis est, sint consecuturi, quemadmodum multis ex historiis christianorum ducum patet.

Denique, miles rite expiatus, etiamsi occumbere eum contingat, præparatur ad evangelium pacis, id est, ad optimum nuntium cœlestis coronæ, quia audiet illud: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

mum dat leprosus Judæus : *Domine, si vis, potes me mundare.* Fatetur ergo clare Christi divinitatem adeoque omnipotentiam, qua si modo velit, possit illico sanare; non ut alii sancti, preces interponendo; sed sola voluntate et mandato. Ac ne vos, hæretici, deceptum esse putetis; ecce vobis Christum petitioni respondentem : *Volo, mundare.* Dixerat leprosus : *Si vis* : respondet Christus : *Volo.* Dixerat : *Potes me mundare* : respondit Christus : *Mundare.* Uno verbo lepram pellit, qui uno verbo mundum creavit. Et vos tamen necdum credere vultis ejus verbo pelli lepram spiritualem, fieri transubstantiationem, etc.

Et quid ethnicus centurio? *Domine, inquit, noli vacari, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Nam si mihi homini obediunt servi mei, cur non potius tibi Deo omnes creaturæ? Credit ergo Christum sanare posse lepram, credit posse verbo sanare, credit absentem posse, credit imperando posse. Quid si ergo Dominus dicat substantiæ panis ut migret a suis accidentibus; dicat item corpori suo, ut locum panis subintret et sustentet eadem accidentia; nonne id mox futurum dixisset centurio?

Rursum ecce vobis specimen intercessionis a Christo admisse et audite. Rogant Judæi pro centurione : *Qui dignus est ut hoc illi præstes, etc.* Centurio pro servo, et omnes audiuntur. Cur igitur repellat Deus sanctorum intercessionem, factas pro fidelibus?

III. Ecce vobis, magnates, exemplum humilitatis primo, in Christo Domino, qui nequaquam horruit tangere leprosum, neque detrectavit descendere ad servum jacentem in paralyti. *Ego veniam, inquit, et curabo eum.* Quanta hæc humilitas! Poterat illum intactum, hunc absentem curare. Illum tamen tetigit, hunc adire voluit : ut confunderet nos, qui leprosos abominamur et in servorum gratiam nihil humile obire, nullum præstare obsequium volumus. Rursum cum leproso ait : *Volo, mundare.* Considera, inquit Sanctus Hieronymus, in comm. super hoc evangelium, *quam humilis et sine jactantia responsio.* Medicorum anquis hoc rogatus, dicturus fuisset : Magna res est lepram curare : paucorum est hæc ars. Quid mercedis loco dabis? etc. Nihil horum Christus, sed quod medicorum artem superat uno verbo præstat, nullo prorsus lucro, multo minus fastu.

Secundo, in centurione, qui professus est se non esse dignum, qui susceperet Christum Dominum; imo ut ad eum iret. Nam Judæos illi misit internuntios velut digniores se. Ac licet isti asseverarent eum esse dignum, ut hoc illi

præstetur, quia diligeret Judæos et ædificasset eis synagogam : ipse nihilominus dicebat : *Domine, non sum dignus.* Quare licet totus mundus clamet te esse dignum, doctum, sanctum : tu reclama, et dic esse te indignum, ignorantem et peccatorem. Non comparabat se centurio cum militibus, quibus imperabat : sed cum Christo et aliis viris, sed longe melioribus. Pari modo tu noli considerare, quod aliquibus præcellas : sed quod multis sis inferior; ita nunquam extolleris.

IV. Ecce vobis, humiles et abjecti in hoc mundo, argumentum dignitatis vestræ et benevolentiae Christi erga vos. « Alibi regulo dicit : (inquit S. Ambrosius, in Luc. cap. VII.) Vade, filius tuus vivit, ut scias et potentiam divinitatis et humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in reguli filio videretur magis divitiis detulisse : hic ipse perrexit, ne videretur in centurionis famulo conditionem despexisse servilem. Similiter olim Elisæus propheta noluit descendere e domo ad Naamanem principem militiæ leprosum et tangere locum lepræ, sed solum ei nuntiavit : *Vade et lavare septies in Jordane,* IV. Reg. V. quod is indigne ferens dicebat : *Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.* Sed noluit Elisæus hoc facere, ne potentiae hujus principis detulisse videretur. Quod ergo principi leproso noluit facere Elisæus, hoc fecit Christus pauperi leproso. Descendit enim ad eum de monte et extendens manum tetigit eum. Humilem leprosum non detrectat tangere Christus; pomposum et fastuosum leprosum detrectat tangere propheta. Videmus igitur apud Deum meliore loco esse cæteris paribus humiles quam excelsos, pauperes quam divites. Taceo quod Naaman nonnisi post septimam lotionem obtinuit sanitatem : leprosus vero iste unico statim verbo : *Volo, mundare.* Statim enim munda data est lepra ejus, ait evangelista.

V. Ecce vobis, divites, exemplum misericordiae et liberalitatis primo, in Christo, qui extendens manum in leprosum, mundavit eum. Ita faciant illi, extendant manum suam ad pauperem, et sic mundabunt eum lepram, id est, abstergent ejus maciem, famem, nuditatem, etc.

Secundo, in centurione, qui, licet alienæ sectæ hominibus, videlicet Judæis, synagogam ædificavit. Quanto magis Christiani liberales sint in templa sua? *Si commendatur Domino,* inquit S. Ambros. serm. LXXXIX. *qui ædificavit synagogam, quanto est commendatior, qui ædificavit ecclesiam?* Et si commendandus, qui ædificat ecclesiam, nonne vituperandus qui destruit, spoliat,

omniq̄ue ornatu destituit? Tamen monet Christus fugiendam vanam gloriam : *Vide nemini dixeris?* Ne videlicet sinistra manu destruas, quod dextra ædificas. Ideo dixit Dominus dantibus eleemosynam : *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua,* Matth. VI.

VI. Ecce vobis, pauperes, exemplum gratitudinis, et quidem in leproso, qui licet a Christo jussus tacere beneficium perceptum, nequaquam tamen tacuit, sed cepit prædicare et diffamare sermonem, impulsu gratitudinis, non inobedientiae. Sic decet facere pauperes, grato nimirum animo recognoscere beneficia et laudare benefactores : non extenuare beneficium, non oblivisci, multo vero minus compensare maleficio.

Deinde, gratitudinem erga Deum discunt a leproso, qui tametsi pauper erat, offerre tamen jubetur a Christo munus suum sacerdotibus; quod præcepit Moyses. Quia enim et ipsi quotidie multa beneficia recipiunt a Deo, recognoscere ea debent, eo, quo possunt, modo. Nam et a pauperibus exegit olim Deus munus suum, par turturum aut duos pullos columbarum. Et universim præcepit Deus, Exod. XXIII. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Exemplum etiam fiduciae in Deo reponendæ. Enim leprosus aperit solum Domino lepræ suæ miseriam, curamque ejus arbitrio committit, non dubitans de salute ab ipso impetranda, si ita sibi expediret. Non ait : *Domine, munda me, sed necessitatem tantum suam ac desiderium brevissimis verbis manifestat.* Similiter centurio satis sibi esse existimat servi sui paralytin et dolores eidem proponere; nihil dubitans adeo benignum et misericordem esse Dominum, ut hujusmodi pauperibus et afflictis ultro subveniat, etiam non rogatus : quia nimirum teste Ps. X. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

VII. Ecce vobis domini, exemplum charitatis et sollicitudinis erga servos ac subditos vestros. Imprimis enim servum ægrum non misit in hospitale, non a se removit, sed domi suæ fovit. Idem facite vos, domini. « Cogita, (inquit Seneca, ep. XLVII.) quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æque spirare, æque vivere, æque mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te servum. Stare ante limen Calixti dominum suum vidit, et aliis intrantibus excludit. » Hæc Seneca. Sæpe melior est servus domino suo. Videant ergo domini, ne si excludant servos, aliquando excludantur, si non a servis suis, certe a Deo suo.

Secundo, magna sollicitudine salutem ei quaerit. Misit obviam Christo primores Judæorum,

qui ipsum præcibus vincerent, uti S. Lucas scribit : Rursum venienti misit obviam amicos; ad extremum ipse occurrit. Ad quid tot et tanta? Servi sanitas quaeritur, non charæ uxoris, non unici filii, non dilecti amici. Ita ergo et vos domini facite servis vestris. Et si parum vobis est exemplum hominis ethnici, inspicite aliud bruti. Elephantes, auctore Aliano, l. VII. cap. XXXVI. suis morbo affectis summa fide adherent et eorum causa insequentibus se opponunt ac pro eis pugnant, quod nunquam alias faciunt nisi illorum aut foetus sui gratia. Et licet eis fugere sit integrum, vulnerari se patiuntur magis, quam ut eo relicto salutem sibi fuga quaerant. Quam ab hoc animali diversus ille dominus pueri Amalecitarum, I. Reg. XXX. derelicti ab eo in agro, quod cepisset ægrotare? Vin aliquid mirabilius? In Cambaia, ditione regis Mogor, tanta est hominum pietas ac beneficentia erga aves morbidas, ut iis xenodochia extruxerint, amplissimis dotata reditibus, quibus tum aviculæ tales, tum earum curatores largiter sustentantur. Nec deest, qui hujusmodi aves undique conquirat per campos et civitatum fora, ut valetudinario inferat, quas sibi restitutas libertate etiam donant et avolare sinunt, P. Dularic. I. hist. orient. l. II. VI. Quid hic dicant Christiani?

VIII. Ecce vobis, subditi et servi, exemplum fidelitatis et obedientiae erga dominos, in servis centurionis, qui ut testatus est dominus, venire jussi veniebant, vadere jussi ibant, facere jussi faciebant. Et quidem milites isti fuerunt, id est, homines pessimis alioqui moribus communiter imbuti. Et quid servi nostri multi? Venire jussi abeunt, vadere jussi veniunt, jussi facere hoc, faciunt aliud. Veteri emblemate servus pingebatur rubro tectus pileo, eleganti vestitus interula, aures habens asininas, pedes vero cervinos, dexteram tenens erectam in palmam explicatam. Pileus notabat debere eum ingenio esse liberali, interula laboriosum, aures asini patientem, pedes cervi celerem in mandatis exequendis, dextera explicata fidelem. Vultin videre subditos ad stuporem obsequentes. « Assasinorum, (inquit Baptista Fulgosius, l. I. c. I.) in Syria princeps, Vetus dictus, præserte Henrico Campaniæ comite, qui ad eum legatus venerat, ut quanta subditorum suorum esset obedientia ostenderet, monstratis in altæ turris summitate aliquot hominibus, unum nominatim evocavit, qui nulla mora facta in ipsorum conspectu se dimisit, casuque obritus vitam finivit. Et cum alios vocare vellet, comitis precibus vix retentus fuit. » Vultin subditos admodum fideles? Veteres Boios aspice. Horum dux Stephanus cogno-

mento Kneuffel, a thorace continuis fibulis constructo dictus, habitans Ingolstadii, circa annum 1400. cum aliquando mentio de fide popularium et subditorum erga dominos suos fieret, asseveravit, nullum esse ex Boiis sibi subditis, cui non auderet vitam suam credere, atque in ejus sinu solus et inermis dormire. Refert Hieronymus Zieglerus, de viris illustribus Germ. Utinam hanc majorum nostrorum fidelitatem etiam nunc cordi habemus!

## CONCIO XI.

## MYSTERIA.

I. Cur leprosum tetigit Christus? — II. Cur jussit tacere leprosum? — III. Cur misit leprosum ad sacerdotem? — IV. Quid lepra mystice? — V. Quomodo accessit ad Jesum centurio? — VI. Quomodo miratus Jesus? — VII. Quomodo fides centurionis maxima? — VIII. Quid tenebræ exteriores? — IX. Quid fetus et stridor dentium? — X. Quem notat paralyticus.

## THEMA.

Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matth. VIII.

Mysterio non vacat, optimi auditores, quod cum descendisset Jesus de monte, sanavit duos afflictos, primum Judæum, alterum gentilem: primum leprosum, alterum paralyticum: primum virum, (sic enim vocatur a Luca: *Vir plenus lepræ*) secundum puerum: primum sanavit præsens, secundum vero absens. Quid enim hoc aliud significat, quam Christum ubi de cælo in terram descendit, sanasse duos populos, et primo quidem Judaicum, postea gentilem? Ille erat leprosus, quia ut leprosus, non tam æger, quam carne vitiatum et maculosum est: ita is cum sana fide maculas habebat multorum vitiorum. Iste paralyticus erat, quia fide et operibus, quibus moveretur ad salutem, destitutus. Ille vir erat, quia in lege Domini bene eruditus et diu valde versatus. Iste puer erat, quia in solis creaturarum elementis Deum suum quærebat et difficile discabat. Ille sanatus est a Christo præsentem et lepram tangente, quia ab ipsomet eruditus et ad gratiam perductus est. Iste ab absente, quia per apostolos doctus et sanatus. Cæterum quia plura sunt mysteria hujus evangelii, ea paucis explicabimus.

I. Cur tetigit Christus leprosum? Resp. primo, ut ostenderet se, media humanitate sua velut instrumento, sanare morbos, et sanaturum aliquando totum genus humanum a peccati lepra

per extensionem manuum suarum in cruce, ac propterea etiam se descendisse de monte cæli; denique per extensionem manus sacerdotum sanaturum se peccatores in absolutione.

Secundo, ut ostenderet se lege Mosaica non teneri, quæ vetabat attrahere leprosum, ut colligitur ex Levit. XIV. v. XLVI. quamquam ejus contactus non fecit immundum, sed tantum irregularem, secundum Abul, nam et Elias et Eliseus mortuum tetigere, quod itidem erat prohibitum. Certe ratio legis illius in Christo non urgebat, quia lepræ contactu non poterat contaminari.

Tertio, ut doceret nos hic facto, quod alibi verbo docuit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. Cum enim soleant homines tactum et communionem leprosum adversari, docuit nos Christus vincere naturam et cogitare eos homines esse similes nobis, et propterea misericorditer et humaniter excipiendos. Quod exemplum sectati multi Christiani, vel leprosus obvios osculati sunt, ut S. Martinus et S. Franciscus, vel pedes eorum abluerunt, ut S. Elzearius comes et S. Margarita regina Scotiæ, vel aliter eis servierunt. Alii hospitalia extruxerunt, in quibus ministrarunt manibus suis ægris et leprosis, ut Fabiola apud Hieron. in ep. ad Ocean. et alii, quorum opus misericordiæ præstantius est illo, quo pecuniæ tantum suppetuntur. Unde S. Hieronymus, in ep. ad Ocean. eos, qui pecunia juvant miseros, clementes pecunia appellat: eos vero qui manibus propriis sordes et ægritudines eorum abstergunt, clementes manu. Sola animæ lepra est, a qua abhorret Deus et vult nos abhorrere.

II. Cur jussit eum tacere beneficium curationis acceptum? Resp. primo, quia sat superque res ipsa clamabat et sanitas impertita medicum laudabat; melius est laudari ab opere, quam ab ore. Unde Hieron. in Matth. VIII. ait: *Quid erat opus, ut leprosus jactaret, quod corpore præferbat?*

Secundo, ut doceret se suis miraculis et beneficiis non quærere gloriam seu laudem humanam, sed fugere potius, idemque nobis quoque faciendum esse. Fugiendo enim gloriam, eam consequemur; sectando perdemus. Quare qui sapiunt, opera sua bona tegunt: stulti vero produnt, et ut S. Job ait, c. XXXI. *Osculantur manum suam*: et ut Isaias inquit, cap. III. *Adorant opus manuum suarum*. Sed cur publice coram populo fecit hoc et alia miracula, si noluit ea publicari? Respondeo ex una parte patere debuisse Christi opera et miracula, quatenus nimirum ex Patris voluntate et mandato ea patrare debuit; sicuti ait Joan. XIV. *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem,*

*et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Ex altera parte, quoad circumstantias liberum erat Christo ea opera patrare, quando, quomodo, cui et ex quo motivo vellet. Et hac ex parte voluit ea taceri, quia hæc ipsius potius opera, quam Christi erant opera. Ex quo docemur ea, quæ præcepti sunt, et communiter a Christianis ex ratione status uniuscujusque fiunt, publice peragere, ad exemplum aliorum: *Ut videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum qui in cælis est*; quia fecimus quod debuimus, servi inutiles sumus. At vero quæ sunt consilii et supererogationis, fiuntque ex mera electione, tegere debemus, quia in his causam superbiæ invenire possumus.

III. Cur misit leprosum ad sacerdotem? Resp. primo, propter se, ne videretur legis prævaricator et contemptor, quæ jubet leprosum mundatum expiari per sacerdotem, Levit. XIV. adeoque ne calumniandi ansam præberet adversariis.

Secundo, propter sacerdotes, tam ut deferret sacerdotio Aaronico: ac multo magis sacerdotio novæ legis, ad quod mittuntur hic typice expiandi peccatores; tum ut illi vel credentes salvarentur, vel non credentes fierent inexcusabiles, qui miraculum Christi probassent et verum esse deprehendissent. Unde addit Dominus: *In testimonium illis*. Marcus ait missum leprosum ad principem sacerdotum, quo videlicet magis constaret et vulgaretur miraculum.

Tertio, propter ipsum leprosum, ne alioquin ipse civitatis ingressu prohiberetur a sacerdotibus, a quibus prius judicandum erat ex lege de lepræ curatione. Noluit ergo Christus huic leproso dare licentiam versandi inter homines, ne prolixum ei crearet negotium seu litem apud sacerdotes. Quod utinam facerent advocati et iudices, qui communiter prolongant lites et in varias ambages ducunt litigantes, quorum lis et causa compendio expediri posset.

IV. Quid lepra mystice significat? Resp. primo, peccatum. Nam primo, lepra est morbus adeo gravis, ut medicorum vim superet et scientiam, ut D. Cyrillus, annotat. I. II. de adoratione: *Carnis*, inquit, *morbus est lepra, isque gravior, quam ut a medicis ei succurri possit, aut illorum peritia expugnari, etc.* Ita et peccatum morbus est ejusmodi, qui non poterat curari nisi Deus ipse descenderet de monte cæli, eumque manu sua abstergeret, imo ablueret sanguine suo; quod figuratum est Levit. XIV. in expiatione leprosi, quæ fiebat cum sanguine passeris occisi. Iubebatur enim expiandus offerre duos passeris, quorum unus vivus dimittebatur, alter necabatur; ille divinitatem, hic humanitatem Christi

signabat. Secundo, lepra ejicit hominem e castris, peccatum e cælo. Porro Levit. XIV. recensentur septem species lepræ: similiter expiandus aspergebatur septies. Pari ratione septem sunt peccata capitalia, et septem sacramenta a Christo instituta ad peccata expianda. Tertio, leprosi a sacerdotibus inspici, examinari et judicari debebant. Sic etiam peccatores a sacerdotibus, qui præterea hoc habent, ut possint mundare lepram velut medici, quod non habuerunt sacerdotes veteris legis, qui solum expiabant leprosus et restituebant communioni hominum aliorum, seu declarabant esse mundatos; quo sensu improprie dicuntur mundare lepram, Levit. XIV.

Secundo, hæresim præsertim secundum Aug. I. II. qq. evang. q. IV. Primo, quia ut lepra colorum, sic hæresis dogmatum non coherentium varietatem habet, dum veris falsa miscet. Secundo, quia ut leprosus alios inficit: ita hæreticorum sermo ut cancer serpit et totum reip. corpus contaminat. Unde Hieron. ad Gal. V. ait: *Arius in Alexandria una scintilla fuit. Sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est*. Tertio, quia ut lepra hominem e castris, ita hæresis ejicit ex Ecclesia.

V. Quomodo accessit ad Jesum centurio? Resp. accessisse per alios, teste S. Luca. Primo, per seniores Judæorum: deinde, rursus per amicos obviam ei missos; (quod autem quis per alios facit, per se facere videtur) denique forte etiam per seipsum, cum jam prope esset Dominus, illi obviavit et audiit a Domino: *Vade* ut scribit Matthæus. Quod tamen non est necesse asserere. Quomodo enim internuntii centurionis nomine ejus dixerunt: *Domine, non sum dignus*: eo modo etiam Christus respondit illis quasi centurioni ipsi, qui per illos advenerat. Quare videmus hinc posse nos ad Deum accedere etiam per internuntios precatores, sanctos videlicet, et ut ait ven. Beda: *Summos Ecclesiæ viros, qui nos ad Dominum præcesserunt*. Auditus fuit a Domino centurio etiam per alios rogans, et insuper de fidei excellentia commendatus; cur Ecclesia reprehendatur, si pe. intercessionem sanctorum ad Deum suas preces mittat? Cur audiri non debeat?

VI. Quomodo miratus Jesus, cum admiratio proveniat ex ignorantia causarum quæ in Christo nulla? Resp. primo, ex D. Thom. III. p. q. V. art. VIII. Christum mirari potuisset quantum attinet ad scientiam experimentalem, dum quod jam antea noverat, novo modo didicit, per experientiam videlicet.

Secundo, ex D. Aug. I. contra adversarios legis, c. VII. Christum mirantis speciem præ se